

suetudinem Atheniensium : « Proponebantur, inquit, publice cujusvis artificii instrumenta, atque ad illa ducebantur adolescentes : quoscumque tum quisque delectabatur et ad quod accurrebat, illius edocebatur, artificium, propterea quod quæ ad naturæ ductum fiunt, plerumque bene succedunt, quæ præter naturam præsumuntur frustrantur. » Denique, si videatis bona liberorum vestrorum omnia, curate ut tales evadant, quales se promittunt. Si mala, curate ut in tempore remedium adhibeatis, ut ita cum parentibus Joannis Baptistæ gaudeatis et congratulentur vobis non vicini tantum, sed et angeli, et omnes cæli cives.

## CONCIO V.

QUA RATIONE VOLUNTATI DIVINÆ NOSTRÆ CONFORMANDA SIT.

I. Accurate. — II. Constanter. — III. — Indifferenter. — IV. Universim. — V. Prudenter.

## THEMA.

*Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Luc. I.*

Pessima et optima vox est hæc : *Nequaquam*. Pessima, quia per illam pervertit et a lege divina avertit Evam, et per hanc Adamum serpens, dicens : *Nequaquam moriemini : scilicet enim Deus, etc.* Gen. III. Optimam quoque est, quia per eam Elisabetha voluntatem Dei stabilivit et viro suo persuasit, dicens : *Nequaquam, sed vocabitur Joannes*; quia scilicet cognoverat, Deum sic mandasse. Magnus in serpente livor ad evertendam Dei legem : magnus in Elisabetha zelus ad eandem statuendam. Reclamabant huic vicini et cognati : revocare eam a proposito poterat nomen mariti, filio imponendum. Verum nihil hæc potuerunt, ad puerperam a Dei voluntate avocandam, præclaro posteris documento, ut in omnibus et per omnia Dei voluntatem omnino præferamus, serioque observemus. Quod, qua ratione faciendum sit, nunc audiamus.

I. Accurate : siquidem Dei voluntas æquissima est et totius æquitatis regula, a qua si vel in minimo deflectimus, illico peccatum admittimus, et Deum ad iracundiam provocamus, pœnisque obnoxii simus. In historia fratrum Minorum, p. I. lib. I. cap. VII. legimus Sancti Francisci regulam conscriptam quidem in monte Cainerio, necdum tamen pontifici pro confirmatione oblatam, cum quibusdam ordinis ejus ministris rigorosior debito videretur in eorum præsentia de cælo confirmatam esse hæc voce : *Francisce, volo ut regula*

*tua, quemadmodum scripta est, observetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa vel minima.* Voluntas Dei regula est a nemine repudianda, regula est ipsius Dei, itaque observanda et acceptanda est ad litteram et sine glossa. Neque enim possunt vel debent immutari Dei ordinationes et consilia. Audimus certe Davidem dicentem, Psalm. CXVIII. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Nimis inquam exacte, quia nimis magnus est Deus : nimis æqua sunt mandata : nimis magna observantium præmia : nimis magna prævaricantium supplicia. Audimus et in hodierno evangelio Elisabetham magna contentione reclamantem iis, qui Dei ordinationem infractum ibant : *Nequaquam*, exclamat, sed : *Vocabitur Joannes*, quia scilicet ita placuit Deo.

II. Constanter, tam in adversis, quam in prosperis. Sic præcipitur Josue : *Ne declines ab ea (lege) neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Dextera est status prosperitatis, sinistra adversitatis. Jam vero sunt nonnulli, qui dum bene cum ipsis agitur, bene de Deo sentiunt et cum eo conveniunt ; at vero cum male habentur et calamitate aliqua exigua premuntur, statim recalcitrant et mordent velut equi calcaribus aut virga vexati, qui pabulum præbentibus blandiebantur. Infantium indolem novimus : cum a patre læduntur, jam nolunt esse ipsius, sed sui. Si prius quæsisset pater : Cujus est? Tuus, dixisset filius. At paululum offensum aut virgula leviter percussus, renuntiat parenti ejusque amori. Ita cum Deo agunt, qui parvuli sunt virtutibus, debiles in fide et amore Dei : *Nolite pueri effici sensibus*, inquit apost. I. Cor. XIV. Nolite Deo contradicere, etiamsi cædat virgis, secet, urat, variisque calamitatibus premat ; semper id repetentes, quod Ps. CXVIII. ait David : *Tuus sum ego, salvam me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi* : sunt e contra aliqui dum morbo periculoso similive afflictione premuntur, se totos Deo tradunt ejusque voluntati committunt : at ubi convalescunt et periculo exempti sunt, vita posteriore totum id retractant, Deique obliviscuntur. Non ita nos, auditores : neque ad sinistram, neque ad dexteram declinemus a Dei voluntate. Laudatur niter iudices Hebræos Aod, qui utraque manu utebatur velut dextra, unde et sinistra regem Moab Egonem confodit, Judic. III. Hujusmodi ambidextri sunt, qui in utraque fortuna viros sese præbent et Deo semper adhærent ; qui sic adversis, tamquam prosperis gaudent : maledictis tamquam encomiis exultant, paupertatem tamquam divitias, morbum tamquam sanitatem perferunt. « Qualem beatam Job meruisse legimus

(inquit abbas Theodorus, apud Cassian. coll. VI. cap. X.) qui utique per dexteram coronabatur, quando septem filiorum pater opulentus ac dives incedens, quotidiana pro eorum purificatione sacrificia Domino offerebat : non tam sibi eos quam Deo susceptos ac familiares cupiens exhibere : quando janua ejus omni advenienti patebat : quando erat pes claudorum, et oculus cæcorum : quando de velleribus ovium ejus humeri calefebant infirmorum : quando erat orphanorum pater et vir viduarum : quando nec in corde quidem suo super inimici sui ruina gavisus est. Idemque rursus per sinistram partem, sublimiore virtute de adversitatibus triumphabat : cum septem filiis uno orbatus momento, non ut pater acerbo luctu conficiebatur : sed ut verus Dei famulus super creatoris sui voluntate gaudebat : cum ex locuplete pauperrimus, nudus ex divite, ex valido tepidus, ex inclyto et glorioso ignobilis atque despectus incorruptam animi fortitudinem reſentabat : dum denique, omni substantia atque opibus destitutus, sterquilini erat factus habitator : et velut quidam corporis sui severissimus carnifex testa radebat saniem profluentem, atque ox omni parte membrorum glebas vermium mersas in profunda vulnerum digito detrahebat. In quibus cunctis in nullam desperando prolapsus est blasphemiam, nec adversus creatorem suum in aliquo murmuravit : quinimo nequaquam tanta tentationum mole atque acerbitate conterritus : ipsum quoque quod ex omni pristina facultate suo corpori superfuera, indumentum, quodque solum quia ipso vestiebatur, a diaboli potuerat vestitione salvari, rescindens atque abiciens adjecit super illam, quam durissimus prædator intulerat spontaneam nuditatem. Comam quoque capitis, quæ sola de prioris gloriæ reliquiis intacta remanserat, vexatori suo projecit abscissam ; et amputans etiam id quod sæviens reliquerat inimicus, illa celesti adversus eum voce tripudiat et insultat : Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc : Dominus dedit, Dominus abstulit, quomodo Domino placuit, sic factum est : sit nomen Domini benedictum. Ambidextrum merito dixerim et Joseph, qui in prosperis gravior patri, et religiosior fratribus, acceptior Deo, in adversis causis Domino fidelis : carceris mitissimus vincis : injuriarum immemor beneficium inimicis invidis et quantum in ipsis fuit, interfecto fratribus non solum pius, sed etiam munificus invenitur. Hi ergo eorumque consimiles recte ambidextri nuncupantur : utraque enim manu utuntur pro dextra et inter hæc, quæ apostolus

dinumerat transeuntes pariter dicunt : Per arma justitiæ, quæ a dextris sunt, et a sinistris per gloriam et ignobilitatem, per infamiam, et bonam famam, etc. »

III. Indifferenter, undecumque procedant mala et calamitates, quæ nobis accidunt, sive a Deo immediate, sive ab hominibus amicis vel inimicis, sive a creatura alia. Scire enim debemus, Dei nutu et imperio fieri, quidquid in orbe fit, citra Dei voluntatem nihil posse contingere, secluso peccato, cujus auctor esse Deus non potest ; ac licet mediis causis secundis multa nobis contingant, nihil tamen nocere nobis possunt, nisi ex voluntate et ordinatione Dei ; ipse numeravit capillos nostros, sine ejus nutu nec passer nec folium cadit ex arbore : nihil ergo fortunæ, nihil casui, nihil hominum studiis adscribere nos oportet, sed Dei ordinationi. Unde Amos III. dicitur : *Si est malum in civitate, quod non fecit Dominus? malum scilicet pœnæ, non culpæ.* Duo enim sunt in peccato : motus seu actus exterior, et inordinatio voluntatis, qua homo deviat a Dei lege. Primum est a Deo, alterum ab homine ; sicut ambulatio laudi est a virtute animæ motiva : claudicatio vero a vulnere. Quare licet ab ipso dæmone mala nobis inferantur, Dei tamen ordinationi, non diabolo adscribenda sunt ; siquidem is in hoc Dei minister et instrumentum est. Unde I. Reg. XVIII. dæmon, qui vexabat Saulem, vocatur *spiritus Domini malus*. Quomodo spiritus Domini, si malus? Explicat id statim textus, dum dicit : *Exagitabat ipsum spiritus nequam a Domino*, quasi dicat : Immissus in eum a Domino. Hoc expendens S. Augustinus, in Psal. XXXI. ait, Divum Job a dæmone spoliatum, non dixisse : Dominus dedit, diabolus abstulit ; sed (referendo omnia in Deum) : *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Itaque sicut medicinam a pharmacopeio nobis præparatam libenter acceptamus, cum scimus ejus confectionem a medico illi præscriptam ; et sicut non dubitanter credimus et obsequimur horologio, quod scimus a perito dirigi astronomo : ita libenter acceptare debemus omnes afflictiones, velut a Dei peritissimi medici et astronomi manu profectas nobisque præparatas, licet interveniant causæ etiam creatæ. Non ergo canum instar in lapides sæviamus, qui in nos jaciuntur : sed cogitemus, Deum esse, a quo jaciuntur.

IV. Universim, non in propriis tantum et personalibus rebus, verum etiam in communibus ærumnis ac malis ; peste, morbis, morte, annonæ caritate, bello et similibus : tametsi enim de his malis seu pœnis una ex parte displicentiam et tristitiam concipere possumus : altera tamen ex parte, dum consideramus ea ab auctore natura

ad bonum publicum, Dei gloriam et hominum emendationem dirigi, in Dei nutu conquirere possumus ac debemus: quomodo iudex aliquis damnans reum ad mortem misericordia commovetur, interim tamen vult eum mori, ut iustitiæ satisfiat. Ac licet nulla Dei lege obligemur, ut pœnas et clades illas positive velimus et amemus; sed sufficiat, si patienter eas feramus: maioris tamen perfectionis est, si easdem velut a Deo immixtas lubenti amplectamur animo et quodammodo exosculemur virgam, qua a Deo castigamur. Ita enim in cœlo sancti omnes conformant se divino nutui in omnibus, sicut duo in capite oculi simul se convertunt ad idem objectum, qui in omnibus vident ordinem divinæ iustitiæ, quem non possunt non amare. Sanctus Augustinus cum Hippona (cujus urbis episcopus erat, ibidem tunc residens) a Wandalis obsideretur, hoc se sapientis cujusdam dicto consolabatur: *Non erit magnus, magnum putans, quod cædunt, ligna et lapides et mortales moriuntur.* Pari vel majore ratione possumus nos solari in cladibus communibus, si cogitemus mirum non esse si tales quocumque mortalibus contingant, præsertim cum nutu divino fiant, plerumque ad correctionem, non ad internecionem hominum. Pulchre hoc explicat Sanctus Gregorius, lib. III. moral. cap. XXXII. sicut enim sanguisuga infirmi sanguinem ita haurit, ut quantum in ipsa est, exsugere et imbibere totum velit: at vero medici mens est, hac via vitiosum tantum sanguinem elicere: id ipsum ei Deus noster in tribulationibus intendit. Et sicut impudenter ageret, qui tali medico se subduceret; ita et nos, si hujusmodi plagis submittere nos nollemus.

V. Prudenter: *Ut probetis*, inquit apostolus ad Rom. XII. *quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* Sed qua ratione, dicit aliquis, inquirenda et cognoscenda est Dei voluntas? Respondemus pluribus modis.

Primo, expendendum, an res quæ proponitur a Deo abducat an ad Deum invitet. In hoc secundo casu Dei voluntas est, in primo non est: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*, ait apost. *ut abstineatis vos a fornicatione, etc.* Cum ergo advertimus nos per aliquam societatem mercimonium, vitæ rationem, non fieri meliores, sed paulatim deficere, sciamus id voluntatis divinæ non esse.

Secundo, dispiciendum utrum e duobus de quibus queritur, voluntati propriæ sit acceptius, carnis appetitui gratius, propriæ existimationi optabilis. Quod enim tale est, merito suspectum et divinæ voluntati contrarium existimandum est. Sicut pepones, cucumeres, fungi, limaces, potus

plus æquo frigidus et similia, licet carni blandiantur et cupide appetantur, hoc ipso tamen noxia judicantur. Contra tutior eris: *Dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua*, inquit Isaias, cap. LVIII.

Tertio, quærendum, quid Dei et Ecclesiæ leges velint, et quid iisdem magis conforme sit. Sic juveni quærenti viam cœli, Dominus respondit: *Mandata nosti: si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Luc. XVIII. et Abraham epuloni: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos*, Luc. XVI.

Quarto, audiendæ in templis conciones et plerumque hominum admonitiones, interrogandi confessarii, magistratus, legendi sancti et eruditi libri. Ita Sauli seiscitanti: *Domine, quid vis me facere*, dicitur: *Surge et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*, Act. IX.

Quinto, sedulo rogandus Deus voce illa Pauli: *Domine, quid vis me facere?* Addenda quandoque jejunia aliæque pia opera; nec desperandum, si non continuo audiamur. Quemadmodum S. Antonius ante fores S. Pauli eremite tamdiu jacuit, donec audiretur et a sancto in ædiculam reciperetur (ut Hieronymus, in vita Pauli scribit): ita instanter fores cœli pulsandæ sunt, suo tempore reserandæ. Denique, desiderium saltem concipiendum, quo velimus per omnia facere Dei voluntatem si ea nobis innotuerit. Hæc enim sponsione facta libere, quod placet, eligamus; aderit Deus voto nostro nec patietur nos aberrare, sed vel mittet angelum, qui nos dirigat uti fecit Josepho, Deiparæ sponso, tribus magis, Agar ancillæ, deliberantibus quid agere et quorsum intendere deberent; vel alio modo diriget. Sanctus Alexander episcopus Alexandrinus animam agens successorem proposuit Athanasium. Ille hoc subodoratus fugit. Vocavit eum Alexander multoties. sed tacet Athanasius et se abscondit. Tum Alexander: *Fugis, Athanasi, at non effugies.* Clerus igitur et populus vim intulit Athanasio, eumque munus episcopale suscipere coegit, magno totius Ecclesiæ bono, an. 324. Constantinus Magnus apud Ilium cœpit urbem condere, sed quia divinæ voluntatis fuit, ut cœptum opus omitteret, et Byzantium in Thracia ædificaret, diverse Deus monuit; nam ædificantium apud Ilium instrumenta, nulla hominis arte in adversum littus, ad Byzantium translata reperiebantur: sed et aquila sustulit funiculum cœmentariorum et juxta Byzantium dejecit, ut scribit Zonaras, Sozomenus, Glycas et alii apud Baron. anno 424. Addit Nicephorus, lib. VIII. cap. IV. cum imperator apud Byzantium novæ urbis ambitum definiens circumiret, et comitibus ejus ulterius, quam conveniret, pomœria urbis proferre videretur, cuidam ex iis roganti:

## CONCIO VI.

## DOCUMENTA.

I. Bona proposita exequenda. — II. Dies hodierna dies gaudii. — III. Dei præceptis insistendum. — IV. Spiritus sanctus non sibi contrarius. — V. Nominum impositio. — VI. Gratiarum actio.

## THEMA.

*Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto et prophetavit.* Luc. I.

Magno mysterio dixit Deus Isaiæ, cum ad prædicandum eum misit: *Quæst tuba exalta vocem tuam*, Isaiæ LVIII. Quis enim nescit tubam, nisi infletur a tubicine, sonare minime posse? Ergo tuba est concionator, tubicen Spiritus sanctus, sine cujus afflatu, tuba muta est. Annon videmus istud in hodierno evangelio? Zacharias tuba erat, sed muta, quamdiu Spiritus s. eam flatu suo non replevit: muta inquam per novem menses, uti prædixit ei angelus, quod non crederit ejus nuntio. Ast ubi hodierna die in filii nativitate, Spiritu s. repletus est, tum demum instar tubæ cœpit exaltare vocem suam, prophetare et laudare Deum: *Benedictus Dominus Deus Israel, etc.* Itaque auditores si quam consolationem ex concionibus percipitis, nolite nobis gratias agere, agite Spiritui sancto: si quam instructionem, nolite nobis laudare, laudate Spiritum sanctum: si quam redargutionem, nolite nobis imputare, imputate Spiritui sancto: sic enim testatur Dominus Joan. XVI. *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, (per concionatores videlicet) ille docebit vos omnia, etc.* Tuba enim nos sumus, cui, si bene solet, non debetur laus. Tubicen Spiritus sanctus est, cui soli debetur honor. Denique, hæc causa est, cur ante concionem præmittamus orationem, quia petimus concionatori flatum et inspirationem illius tubicinis, ut bene et salubriter canat. Huic gratiæ confisus proponam in præsentia aliquot documenta ex hodierno evangelio.

I. Docemur bona proposita ac desideria deducere in effectum. Sic enim legimus in hodierno evangelio impletum esse tempus pariendi Elisabeth et peperisse. In quem locum notant Origenes, Ambrosius et Beda, de justis tantum dici in Scriptura, quod impleatur eorum tempus, non item de peccatoribus: *Quia plenitudinem vitæ justi habent: inanes sunt dies impiorum*, ait S. Ambrosius. Inanes autem sunt imprimis, quando multa bona concepere proposita in concionibus vel periculis aut confessione, ea tamen nunquam pariunt, atque ita nunquam impletur et tempus pariendi. Verificatur in illis id Ezechiiæ regis apud

*Quousque tandem Domine? confestim respondisse: Eousque dum qui me præcedit, ductor constiterit, unde patuit angelum ei prævisse.*

Denique, memorabile est, quod scribit Joannes Taulerus ordinis S. Dominici concionator celebris in colloquio theologi et mendicii, pag. DCLXXXV. «Fuit, inquit, olim insignis quidam theologus, qui annis octo precibus continuis a Domino id cupiebat obtinere, ut ipsi hominem quemdam ostenderet, qui eum viam veritatis edoceret; cumque vice quadam vehementissimo hujus rei flagraret desiderio, vox quædam cœlitus lapsa, ita ipsum allocuta est: Exi foras ad limina templi, et offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur invenit mendicum quemdam disruptis, sordidis, lutosus pedibus, cujus vestes in universum vix tribus obolis supputares, quem salutans ita affatus est: Det tibi Deus prosperum mane. Respondit mendicus: Non memini me unquam adversum mane habuisse. Et magister: Eia, inquit, ut fortunatum te faciat Deus, quid ita loqueris? Respondit mendicus: Sed nec infortunatus aliquando fui. Et ille: Felix iste, ait, quid sibi hæc tua verba volunt? Et pauper: Nunquam, ait, infelix fui. Rursus itaque magister: Salvete, inquit, te Deus, jam nunc apertius loquere, neque enim capio quid dicas. Tum pauper respondit: Id faciam libenter. Optabas mihi, magister, prosperum mane, et ego me nunquam a adversum mane habuisse respondi: quando enim fame premor, Deum laudo; si frigus patior, si grando, si nix, si pluvia cadit, si aura serena est, vel turbulenta, Deum laudo, et ideo nunquam triste mihi mane contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri; et ego nunquam me infortunatum fuisse respondi: novi enim cum Deo vivere, certusque sum quidquid ille facit, non posse non esse optimum. Unde quidquid ipse vel dabat, vel evenire mihi permittebat, sive gratum id esset, sive contrarium, dulce vel amarum; id tamquam optimum ab ipso suscepi, et ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, ut felicem me faceret Deus, ad quod ego similiter, nunquam me infelicem fuisse subjunxi: soli namque divinæ voluntati inherere statui, in quam sic integre omnem meam transfudi voluntatem, ut quidquid ille vult et ego velim, et meam ipsi voluntatem ex integro resignarim. » Hæc ille. Atqui hæc est, auditores, vera Christianorum philosophia, et calmen sapientiæ, velle quidquid Deus vult.

Isaiam, c. XXXVII. et IV. Reg. XIX. *Venerunt filii usque ad partum, et virtus non erit pariendi.* Quemadmodum enim aliqua mulieres delicatae et impatientes vim sibi inferre nolunt ut enitantur foetum, et ita occidunt eum: ita delicatuli, qui proponunt quidem bona multa, semper tamen differunt, et coniti nolunt, ut reipsa praesent, quae proposuerunt, sed passionum vehementia, vel imbecillitate impediti suffocant foetus suos. Quibus certe dicitur a Domino: *Vae praegnantibus in illis diebus,* teste S. Hieronymo: *Vae illis animabus,* inquit, *quae non in perfectum virum sua genimina produxerunt.* Dum porro occidunt foetus suos, occidunt utique seipsos. Ac quemadmodum Absalon pulcherrimis suis capillis implicatus fuit in arbore et ibi pendulus interiit, III. Reg. XVIII. ita multi suis desideris, quae nunquam pariunt seu vivificant, irretiti et suspensi pereunt. Columba dum in ramo arboris sedens semper haeret, inopinato configitur jaculo, et quam multis istud contigit, ut dum meditentur vitae emendationem, mortis interim jaculo confixi sint? Quam multi cogitant quotidie disponere domui suae, tam spirituali quam materiali, solvere debita, etc. et dum semper differunt, a morte abripiuntur? Angustiatur etiam aliquando in hoc partu S. Augustinus, lib. VIII. confess. cap. XI. « Dicebam enim apud me intus, ait: Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum, jam pene faciebam et non faciebam, etc. » Tandem vim sibimet inferens: « Quid in te stas et non stas? inquit. Projice te in eum; noli metuere, non se subtrahet ut cadas, etc. » Deinde, suffocant gratiam amplioem, quam daret illis Deus, si priore uterentur: sicut praceptor non tradit discipulo lectiones altiores, donec is didicerit faciliores.

II. Docemur hodiernum diem magno gaudio et veneratione suscipere, juxta praedictionem angeli: *Multi in nativitate ejus gaudebunt,* necnon ad exemplum vicinorum et cognatorum, qui congratulabantur Elisabethae. Jure vero merito gaudemus in hoc die omnes, quia Joannes praecessit et annuntiavit nobis lucem mundi mox subsequaturam, sicut Venus seu lucifer praecedit orientem solem. Praecessit annuntiatione, nativitate, praedicatione, morte; annuntiavit voce. Quis autem non vehementer gaudet, si in diuturnis tenebris sedens, nuntium accipiat adfuturam lucis? Hoc enim cum gaudio praedicat in cantico suo Zacharias: *Visitavit nos Oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, etc.* videbat enim hodie Luciferum orientem, et collegit inde solem mox secuturum. Quin et ipse Joannes lucerna erat, ante lucem illam magnam, lucens

et ardens, Christo teste. Hoc gaudium, ut arbitror, testari voluerunt veteres Christiani excitatis hac die ignibus. Quae tamen consuetudo paulatim honestatis limites excessit, quemadmodum nunc videmus, cum saltus et choreae circa illum agitantur: quod prohibuit Trullana, id est, sexta Constantinopolitana Synodus, can. LXV. cum ait: *Rogos quos nonnulli in noviluniis* (hoc enim tempore faciebant Graeci) *ante suas officinas vel aedes excitant, et quos etiam veteri quadam consuetudine transilire solent, deinceps cessare jubemus.* Credibile est hunc morem fluxisse a honorem S. Joannis, qui lucis et gratiae praenuntius fuit usurpatum; qui etiamnum si abusus demantur, hoc titulo laudandus foret.

III. Docemur Dei praecipis serio insistere, nequaquam contraire. Docent hoc sancti illi parentes Joannis, Zacharias et Elisabeth. Haec enim cum Spiritu sancto didicisset, vocandum esse filium nomine Joannis, et vero animadverteret tractari a cognatis, ut aliter vocetur, fortiter reclamavit: *Nequaquam, sed vocabitur Joannes,* quasi diceret: Nequaquam licet nobis contraire Dei jussui. Similiter Zacharias cum de eadem re interrogaretur, voce vero respondere non posset, postulavit pugillarem, ut scriberet nomen Joannis; quasi enim indignaretur, aliud filio nomen quæri, quam didicerat ab angelo, praefectus vehementia erupit in vocem, et quod scribere paraverat, verbo affatus est: *Joannes est nomen ejus.* Refert Valerius Maximus, lib. I. c. VIII. Aegle Samium athletam mutum cum ei victoriae, quam adeptus erat, titulus et praemium eriperetur, indignatione accensum, vocalem evasisse. Ejusmodi affectu inflammatum arbitrator fuisse Zachariam, cum linguam divina vi ligatam, divina etiam vi solvit, zelo videlicet exequenda voluntatis divinae, quam intellexerat ab angelo. Ergo et nos, quando advertimus nobiscum tractari de praecipio aliquo divino transgrediendo, illico prorumpamus cum Elisabetha et dicamus: *Nequaquam, sed fiat voluntas Dei: cum dicit muliercula: Veni inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, etc.* Prov. VII. reclamemus: *Nequaquam; cum dicunt mali socii: Venite sumamus vinum et impleamur ebrietate, etc.* Isaiæ LVI. dicamus nos: *Nequaquam.* Et si videamus in nostris aedibus vel a nostris subditis tractari aut fieri aliquid contra Deum, perrumpamus omnia repagula, nullum non moveamus lapidem, ut illud impediamus. Et

universim si quis tibi pro Joanne obtrudere Zachariam, id est, pro aeterno temporale aliquid velit, tu reclama quantum potes. Balaam idololatra fuit et diaboli propheta, nihilominus id solenne in ore habuit: *Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?* Numerorum XXIII. et, Numerorum XXII. *si dederit mihi Balac plenam domum suam auri et argenti, non potero immutare verbum Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.* Quid igitur faciat Christianus? Non attendat ad vocem mundi et propinquorum: nemo est in cognatione tua, etc. nemo tuorum amicorum aut sodalium hoc facit, aut fugit, aut peccatum esse existimat, etc. sed quid jubeat Deus.

IV. Docemur Spiritum sanctum nequaquam sibi esse contrarium. Interrogatur enim Elisabeth de nomine imponendo filio: illa edocta a Spiritu sancto (quo doctore agnovit etiam Dei Matrem, neque credendum, didicisse eam nomen a marito muto) respondet: *Joannes vocabitur.* Innuirit et patri, quem vellet vocari filium: scribit ille et fatur eodem edoctus Spiritu: *Joanes est nomen ejus.* Ecce tibi Spiritum veritatis semper sibi similem, undecumque spiret. Non ita spiritus mendacii, ut patet Danielis XIII. in diebus senibus perversis, quorum alter dixit videresse se Sannam sub schino, alter sub pino. Spiritum veritatis est reperire in Ecclesia catholica. Ibi enim ubicumque interrogas: Quot sint sacramenta, respondebitur tibi: Septem. Respondebit hoc Germanus, Polonus, Hungarus, Italus, Hispanus, Indus, etc. eademque ratio omnino de articulis aliis: spiritus mendacii per ora haereticorum volat. Lutheranos enim alii duo, alii tria, alii quatuor sacramenta admittunt. Norimbergenses dicunt missam esse cultum Dei, alii contra cultum diaboli. In uno loco approbant et requirunt confessionem auricularem, in alio vero damnant, etc.

V. Docemur observare nominum impositionem, quae fit in baptismo. Primo, ut ne superstitione admisceatur: nulla enim virtus est in nominibus. Reperiuntur mali, qui bona habent nomina; boni qui mala. Nec curandum a quo quis denominetur, sive is pater sit sive patrinus. Decet autem ut motivum imponendi sit devotio erga hunc vel illum sanctum, non respectu patris seu patrini, quomodo cognati volebant Joannem vocare nomine patris Zachariam, quo videlicet incitentur filii ad colendum et imitandum sanctum illum. Ita S. Stephanus protomartyr monuit in somnis matrem S. Stephani regis Hungarorum, ut filium suo (Stephani inquam) vocaret nomine, Surlus, in vita 20. aug. ita parentes S. Nicolai Tolentinatis, a S. Nicolao episcopo de danda prole confirmati,

filium ejus nomine appellarunt, qui etiam a tenebris assuevit sanctum illum pro viribus imitari, breviar. 10. sept. Hinc Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, histor. eccles. lib. VII. cap. XX. ait Joannis apostoli nomen commune fuisse hominibus ob emulationem, quod similiter a Deo diligere cupiebant.

Secundo, ut ne ethnicorum nomina imponantur, sed sanctorum, uti praecipitur in can. XX. Concilii Nicæni, ex Arabica versione, his verbis: « Fideles nomina gentilium filiis suis ne imponant, sed potius omnis natio Christianorum suis nominibus utatur, ut gentiles suis utuntur, imponanturque nomina Christianorum secundum Scripturam in baptismo. » Quin et apud Amos prophetam initio capitis VI. hoc inhibuit legimus juxta Chaldaicam versionem, quae sic vertit: « Vae opulentis, etc. qui imponunt nomen filiis suis secundum nomen filiorum gentium, » quasi ibi taxentur Judaei, quod filiis suis darent nomina gentilium vicinorum, cum quibus commercia habebant.

Tertio, nomina sanctorum novi potius testamenti, quam veteris indantur, ne magis cum Judaeis quam cum Christianis sentire videamur, quod sane faciunt haeretici, qui ut vitent nomina sanctorum, quos norunt Romanæ fuisse Ecclesiae, eligunt potius nomina Judaeorum, Davidis, Tobiae, Sarae, Judith, Esther, etc. quasi malint esse Judaei quam Christiani et catholici.

Quarto, ut absit fastus et ambitio, qualis esse solet in multiplicatione nominum apud plebeios, novorum nominum confictio, etc. Parentes S. Joannis nobiles et opulenti fuerunt, nec tamen nisi nomen unum, idque jam olim suae genti usitatum, uti ex libris Macchab. patet indiderunt.

Denique, videat unusquisque quale nomen gerat. Primo, ut sit is qui vocatur. Magna contentione dederunt nomen Joannis parentes: sed majori contentione is laboravit, ut esset Joannes, id est, in Dei gratia semper. *Non omnes sunt Joannes qui vocantur Joannes,* ut ait Sanctus Chrysostomus, hom. LII. in Acta, videant ergo qui hoc gaudent nomine, ut sint et ipsi tales; quomodo Alexander Magnus militem eodem appellatum nomine, in Tyri adhortatus est oppugnatione: *Animose, o commilito, fac facinus nomine, quod geris, dignum.* Viri sui nominis erant David, id est, *dilectus Deo:* Chrysostomus, *os aureum:* Sanctus Ambrosius, ab *ambrosia:* Melletius, a *melle:* Sancta Agnes, ab *agno* dicta. Ad haec curet quisque non imitari tantum sanctum, cujus nomen gerit, sed praeterea majori devotione colere veluti tutelarem suum, et invocare in necessitatibus.